Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5735
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

hec dicta quare varie sancti novi testamenti apparent. Novicius: Quae sit causa illius varietatis, qui etiam fuerint patriarche quique prophete et quare sic dicti sint cor ut edisseras. Monachus: Quanto brevius potero de requisitis te expediam. Capitulum de patriarchis etc.

Patriarche sunt viri iusti et gloriosi cum quibus locutus est deus, Abraham scilicet, Ysaac et Jacob et alii quam plures qui illos et tempore precedebant et subsequebantur. Dicuntur autem patriarche quasi principes patrum eo quod aliis facti sunt via recte credendi et norma bene vivendi. Horum successores extiterunt prophete et ipsi viri magni et incliti qui Christi sacramenta et ecclesie et sic alia futura fuerunt tam perspicue previderunt ac si oculis eorum corporeis fuissent obiecta. Unde quidam illorum dicebat: Non faciet dominus verbum super terram quod non prius servis suis prophetis revelaverit. Et prophete fuerunt Ysaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel et duodecim prophete minores qui etiam ea que previderunt vel predixerunt scripto perpetuaverunt. Unde prophete dicuntur quasi prefuturi vel quasi procul fantes a longe. Vel prophete dicti sunt videntes vel significantes. Quare autem varie quia apostoli vel martyres nobis appareant causa esse videtur quod respectu istorum dictorum ordinum modica vel pene nulla est memoria illorum apud ecclesiam latinorum. Greci vero in nataliciis eorum sollempnizant et ideo forte sepius illis apparent.

De sancto Johanne baptista cuius memoria celebris est per universam ecclesiam aliquanti dicta. Ipse enim est novissimus prophetarum et plus quam propheta. Nam lex et prophete teste domino usque ad Johannem. Exemplum

In Claravalle monachus quidam fuit Johannes nomine qui specialiter et devote diligebat sanctum Johannem baptistam. In die siquidem eius natus est et ob hoc a parentibus Johannes vocatus, propter hoc super reliquos sanctos illum dilexit. Et quotiens aliquid ad ipsum pertinens psallebat ut est canticum patris eius Zacharie ibi voci penitus non pepercit. Nocte igitur quadam cum idem canticum in choro cantaret et ventum fuisset ad illum versiculum: Et tu puer propheta altissimi vocaberis